



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

68. An debeat omitti Baptismum propter periculum infantis morituri, ut v.
g. si puer sit ita tener & delicatus, ut credatur Baptismum fore causam
mortis illius? Et an baptizans in dicto casu sit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptismi. Ref. LXVII. &c. 45.

eram. contr. 4. tract. 2. disp. 3. n. 9. dub. 2. n. 13. Tancorum tom. 4. disp. 4. q. 2. dub. 1. n. 17. & Filiucium tom. 1. tract. 2. cap. 5. num. 77.

2. Sed his non obstantibus, in periculo mortis ita puerum esse sub conditione baptizandum, adnotavi in 3. part. tract. 4. resolut. 11. docuisse Fernandez de Heredia, cui nunc addo Caietanum in 3. p. q. 67. art. 6. teste Hurtado ubi supra, ac Marfilium in 4. sent. q. art. 6. dub. 11. putantes fore talem Baptismum validum in casu extremae necessitatis, ut si pueri morituro nullus adesset praeter duos, quorum unus mutus esset, alter membris omnibus captus, hoc enim formae verba proferente, illo altero ablutente, validum fore Baptismum affirmant, & casus posset occurrere: & ideo etiam hanc sententiam docet novissime Joannes Chapeavilla de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, q. 20. de Baptismo. ubi sic ait: Potest occurrere casus, quo Pastor non possit abluere, possit autem formam proferre, puta si nullus sit accessus ad puerum, quia aedes infectae sunt à Magistratu ocludae, neque permittit accessum, quamvis injustè, vel si ipse truncatus sit manibus, & alter qui adest non possit formam proferre, in illo casu extremae necessitatis licebit juxta alteram sententiam hoc modo conferre Baptismum, quia melius est in tali extrema necessitate accipere Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem, quam nullum. Erit tamen ille Baptismus sub conditione iterandus, si postea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum Sacramentum ab uno & eodem Ministro.

3. Dices, jure Canonico ordo datus ab Episcopo & Presbytero simul, Episcopo videlicet imponente manus, Presbytero autem benedicente, seu proferente formam, irritus esse declaratur; ergo nulli licebit hoc modo baptizare, ut unus abluat, alter verò formam proferat. Respondetur, negando consequentiam, non enim similis est casus ei, de quo agimus; quia in sacramento Ordinis conferendo Presbyter non potest esse Minister, & ideo cum Episcopo non potest componere unum Ministrum, & ex hoc solo capite evidens est illam ordinationem fuisse irritam, & nullam; in nostro autem casu qualibet persona concurrens posset esse sufficiens Minister Sacramenti Baptismi. Haec omnia docet Chapeavilla ubi supra, & haec sunt placita Doctorum circa praesentem questionem, de qua tamen infra in tract. de mutis iterum sermo redibit.

RESOL. LXVII.

An infans moribundus, si ad illum non esset accessus, sit baptizandus, aspergendo cum aqua? Et an consuetudo Ecclesiarum baptizandi per immersionem servanda sit? Et, si in aliqua Ecclesia trina immersio usitata sit, an una tantum adhiberi poterit cum integra prolotione formae? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 19.

§.1. **R**espondeo affirmativè cum Chapeavilla de sacram. Baptismi, q. 19. ubi etiam docet, quòd si Pastor certò sibi persuadeat se caput pueri aqua aspergere posse, licebit illi ad vitandum contagionis periculum hujusmodi baptizare, quia tunc cessat periculum nullitatis Baptismi, cum constet per veram asperersionem verum conferri Baptismum.

2. Dicendum est igitur quaecumque ablutionem sive fiat immersione, vel infusione, sive as-

perione, quantum ex se sufficere ad valorem, & essentiam Baptismi, quia quaecumque ex his est vera ablutio, quae verbis formae Baptismi significatur, quod etiam constat ex usu Ecclesiae, quae omnibus dictis modis usa est baptizare, nempe infusione, ut modò sit, & immersione, ut olim fiebat, & ut modò in Manuali Romano fieri permittitur, & asperione, ut ex sancto Laurentio in ejus legenda dicitur instante martyrio quemdam asperione aquae baptizasse, & de Apostolis creditur asperione baptizasse, quando una die quinque milia baptizarunt ut dicitur Act. 4. & idem est de ablutione facta tinctione, & idem docet Hurtadus de sacram. Baptismi, disp. 1. diff. 4. & alij communiter. In praxi tamen, secluso, ut diximus, casu necessitatis, ut ablutio licite fiat, servandus est modus in unaquaque Ecclesia pro tempore praescriptus, & usitatus: licet Posselinus de officio Curati, cap. 16. num. 6. Sotus & Henriquez, ut observat, nec improbat Granadus de sacram. contr. 4. tract. 1. disp. 4. num. 6. doceant non esse peccatum mortale uno, vel altero modo baptizare, secluso contemptu. Sed hanc sententiam non approbat Ochagavia de sacram. tract. de Baptismo, q. 5. n. 8.

3. Notandum est tamen consuetudinem Ecclesiarum baptizandi per immersionem servandam esse, ut observat Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. n. 4. excepto casu necessitatis, propter quem affusione aquae utendum etiam in Ecclesiis, quibus alioquin ordinarius baptizandi modus est per immersionem, sicuti supra ex S. Thoma intelleximus. Deinde si in aliqua Ecclesia trina immersio usitata sit, una tantum adhiberi poterit cum integra prolotione formae ob periculum mortis, ne infantem prius mori contingat, quam tres immersiones fiant. Ita etiam docet Zambranus de sac. Baptismi, c. 1. dub. 1. 2. n. 9.

RESOL. LXVIII.

An debeat omitti Baptismus propter periculum infantis morituri, ut v. g. si puer sit ita tener & delicatus, ut credatur Baptismum fore causam mortis illius?

Et an baptizans in dicto casu sit irregularis? Et cursum deducitur, quod licite potest Parochus audire confessionem hominis qui alioqui morietur in statu peccati mortalis, licet sciat inde sibi mortem proventuram. Ex part. 5. tr. 3. Ref. 8.

§.1. **V**T v. g. si puer sit ita tener, & delicatus, ut credatur Baptismum fore causam mortis illius, & tunc si Baptismus differri sine periculo potest, licitum, imò & obligatorium est: si verò sit periculum in mora. Sotus in 4. disp. 3. q. 1. art. 8. in fin. & Ledesma 1. 4. q. 7. art. 8. dub. 3. cum Scoto, Majore, & Gabriele, existimant non licere tunc baptizare puerum, saltem, si propterea mortuum acceleranda sit, afferrique possunt Scotus disp. 5. quest. 3. & Gabriel, disp. 4. quest. 2. art. 3. dub. 4. dicentes non esse baptizandum infantem, quando inde mors esset proventura. Existimo tamen longè probabilius puerum in praedicto casu posse baptizari, licet propterea mortis acceleratio magna futura esset. Ita sentiunt Paludanus in 4. disp. 3. q. 3. num. 9. in fine. Zambranus cap. 1. de Baptismo dub. 12. & docti recentiores. Pro cuius explicatione & probatione advertendum est, esse posse aliquos baptizandi modos, qui directè, & per se videntur ordinari ad occidendum infantem, v. g. abluere aqua omnino venenata, projicere in flumen,

Sup. hoc infra in Ref. 70. lege doct. in am §. Sed ut verum paulò post ini- tiam, à vers. Sed quæro.

flumen, & similes, & hi nunquam licent, quia directe occidere innocentem est intrinsece malum, nunquam autem sunt facienda mala, ut eveniant bona temporalia, aut spiritualia. Deinde certum est, curandum esse diligentissime, ut tam in modo abluendi, quam in quantitate, aut qualitate aquae naturalis prospiciatur vitae infantis, cui sanè vix potest moraliter nimium nocere Baptismus, si circumspicere fiat. In casu ergo, quo adhibita omni diligentia crederetur mortem illius accelerandam propter Baptismum, licebit nihilominus eum baptizare, si alioqui credatur absque Baptismo moriturus. Probatur, quia id non est directe occidere, sed indirecte, permittendo scilicet vitae detrimentum, quod aliqua ratione proveniet ex actione bona, nempe ex Baptismo; rectè autem potest quis exponere vitam manifesto vitae discrimini, propter maximum bonum spirituale. Cum ergo ex Baptismo pendeat in praedicto casu salus aeterna infantis, licetè permitti potest vitae temporalis detrimentum. Confirmatur, quia licetè potest Parochus audire confessionem hominis, qui alioqui morietur in statu peccati mortalis, licetè sciat inde sibi mortem proventuram, ut bene Navarra lib. 2. de resit. cap. 3. part. 1. diff. 3. ergo licebit etiam ne puer in originali decedat, baptizare illum, quamvis propterea sit moriturus, ipse enim infans si foret sui compos, deberet ita velle, ac proinde nulla ei irrogatur injuria. Et haec omnia docet Granadus de Sacram. in 3. part. contr. 4. tract. 4. diff. 4. n. 6. & 7. & ante illum Zambranus de Sacram. Baptismi, cap. 1. dub. 2. n. 11. & Moscosus in summa tract. 2. cap. 1. num. 5. in fine. [Si por defundat un niño para bautizarle en el cuerpo, o por echarle agua en la cabeça peligrasse su salud, o vida, no se ha de dexar de bautizar, porque esta muy puesto en razon, que se posponga su salud, y vida temporal en peligro por alcanzar la eterna.] Ita ille. Vide etiam circa praesentem quaestionem de Sacram. in 3. part. quest. 66. art. 8. dub. 1. n. 84. Ex his sequitur baptizantem in nostro casu non esse irregularem. Ita Zambranus ubi supra n. 76. & alij.

Quamvis non plene sup. hoc, sed an teneatur, lege supra ex Ref. 8. doctrinam ejus § 1. & 2. & alterius Ref. ejus primae not.

Sup. hoc in Ref. not. priorae hujus Ref. in eodem §. etiam cursum in fine.

RESOL. LXIX.

An si Tyrannus velit infantem occidere, vel si dum agit animam, alio modo non potest baptizari, liceat eum in puteum, vel flumen projicere; & an ita sit baptizatus?
Et an hoc idem dicendum sit de adulto Catechumeno? Ex p. 5. tit. 3. Ref. 14.

Sup. hac validitate Baptismi in Ref. seq. in ejus primis lin. & in aliis vers. dictae Ref. & pro peccato à lin. 6. praecitatur Ref. §. 1. **T**Alem non esse baptizatum docet Cabrera de Sacram. in 3. part. q. 66. art. 7. n. 17. Ledesma, Henriquez, Sylvester, & Sotus penes Vilalobos, in summa. rom. 1. tract. 5. diff. 4. n. 7. Sed ipse merito affirmativam sententiam tenet, cui adde Ochagaviam de Sacram. tr. 1. de Baptismo. q. 6. n. 2. & Joannem Prapositum in 3. part. q. 66. art. 8. dub. 1. n. 81. ubi citat Suarez, Valquez, Gabrielem, & Victoriam. Idem etiam docet Ludovicus de San Juan q. 1. art. 3. de Sacram. Baptismi. dub. 1. Gama-chaus in summa. Theol. tom. 3. in 3. p. q. 66. cap. 2. Layman lib. 5. tract. 2. c. 3. n. 5. Meratius in 3. part. rom. 3. tract. de Sacram. Baptismi. disp. 2. sect. 3. & ratio est, quia in hoc casu non deest forma, ut supponitur ab omnibus, nec deest materia, nec sufficiens intentio Ministri ad Baptismum conferendum; ergo. Secunda pars antecedentis probatur. Materia hujus Sacramenti est ablutio, quae, ut

ostensum est, potest inveniri sine emersione, & absque eo, quod pars, quae dicitur abluui, detergatur aqua; ergo ex parte materiae in eo casu nihil deest. Unde ex his contra Scotum in 4. distinct. 5. q. 3. Paludanum distinct. 6. q. 1. art. 3. Marfilium q. 4. art. 4. Sotum distinct. 3. quest. unic. art. 8. & Sylvestrum ver. Baptismus. q. 1. c. sequitur quoddam ad valorem Baptismi, qui submersione fit, non sit necessaria emersio ipsi submersioni succedens, ut tradunt Rosella ver. Baptismus 4. n. 1. Suarez in 3. part. rom. 3. disp. 2. c. sect. 3. Valquez disp. 1. 45. cap. 3. Coninch. de Sacram. q. 6. art. 7. dub. 1. & alij, quia submersio corporis, quamvis ei non succedat emersio, seu extractio illius est vera ablutio, quia tunc aqua ita movetur supra superficiem corporis, dum eam intrat, ut si sordidum esset verè illud emundaret, ergo sufficiens est ad valorem Baptismi.

2. Sed difficultas est in casu, de quo loquimur, an licetè dicitur infans in puteum, vel in flumen projiciatur; & affirmativam sententiam docet Ochagavia de Sacram. tract. un. de Baptismo. q. 7. n. 2. ubi sic asserit: Cum puer baptizandus jam animam agit, & non est alia via illum baptizandi, nisi is in puteum suffocandus projiciatur; tunc licetè potest in puteum projici cum intentione eum baptizandi. Ita communiter Doctores, & praesertim infirmat Valquez rom. 2. in 3. part. disp. 1. 45. cap. 3. & probatur ratione, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; ergo illa parva, & penè insensibilis mortis acceleratio nihil pendenda est in isto casu, & idem credo propter eandem rationem posse contingere in adulto catechumeno, quia ei difficilis est per contritionem justificatio, & medio Baptismo facilis. Ita Ochagavia. Sed adversus illum insurgit Hurtadus de Sacram. Baptismi disp. 1. diff. 2. Gamachus in summa. Theol. tract. 3. in 3. part. D. Thom. q. 66. c. 2. Layman lib. 5. tract. 2. c. 4. n. 5. Meratius rom. 3. de Sacram. Baptismi, disp. 2. sect. 4. & Prapositus in 3. part. q. 66. art. 8. dub. 1. n. 82. sic asserens. Petes an liceat puerum animam agentem aliàs sine Baptismo moriturum projicere in flumen, ut baptizetur, & salvetur? Respondetur non licere, ut communiter Doctores. Ratio est, quod nulli liceat privata autoritate quempiam occidere citra sui defensionem, etiam si alteri commodum aliquod accidat, cum non liceat facere mala, ut eveniant bona: si tamen aqua non posset aliter haberi, posset puer per funem, vel canistrum in aquam demitti, & forma prolata extrahi. Haec Joannes Prapositus.

Sup. hoc late in Ref. seq. à lin. 6.

RESOL. LXX.

An si aliquis baptizaret infantem moriturum projiciendo eum in flumen, vel puteum, quando aliter baptizari non possit, peccaret mortaliter peccato homicidii, & irregularitatem incurreret?
Et supponitur talem Baptismum esse validum.
Et quaritur, an saltem liceat tibi Baptismum proximo morituro ministrare, ex cuius administratione cognoscis mortem accelerandam esse?
Et an sic baptizans maneat irregularet?
Et notatur non valere Baptismum, si quis videat puerum ab alio projici in flumine, vel puteo, & proferat verba formae.
Sed quid est dicendum, si puer è manibus baptizantis fortè elapsus esset, & tunc ipse baptizans verba formae proferret?
Et an valeat Baptismus, si quis aqua defluenti è

recto